
325

B


222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

7.
KW
325 B 222

DISPUTATIO JURIDICA *INAUGURALIS*, *DE*

Senatusconſulto Vellejano.

QUAM,
Auſpice Deo Opt. Max.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CORNELII van ECK,
J. U. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in utroque jure Honoribus ac Privilegiis rite & legitime Conſequendis,

Publico Eruditorum Examini ſubjicit

JOHANNES OHRTHUSEN,
Embdâ Friſ. Orient.

Ad diem April. MDCXCIII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYSELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
Senatus-Conſulto Vellejano.

INter varia beneficia mulieribus hinc inde in corpore noſtro â juris Conditoribus conceſſa haud minimum mihi videtur Beneficium Senatus Conſulti Vellejani, quo Senatus Conſulto mulieribus ſuccurritur, ſi pro aliis interceſſerint. Nam cùm Legumlatores videbant mulieres tam facilè ſeſe pro aliis obligare prorſus immemores Reſponſi Oraculi illius Delphici: SPONDE, NOXA PRÆSTO EST! opem ferre voluerunt illis propter ſexus imbecillitatem, multis hujuſcemodi caſibus ſuppoſitis atque objectis. Cùm enim jam anteà moribus civilia officia ademta eſſent fœminis, multò magis adimen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

adimendum eis viſum fuit id officium, in quo non ſola opera nudumque miniſterium earum verſaretur, ſed etiam periculum rei familiaris. *l.* 1. §. 1. *h. t. l.* 2. *de R. I.* Et ideò primò temporibus divi Auguſti, mox deinde Claudii; edictis eorum erat interdictum ne fœminæ pro Viris Suis intercederent l. 2. in pr. h. idque Ideò quoniam facilius mariti quàm aliorum blanditiis adhoc inducitur; vel propter metum aut reverentiam maritalem in ſui præjudicium hoc facit mulier, ut benè obſervat Scharſchmid. in jure Juſtinianeo novo ad *cap.* 8. *Nov.* 134. Quoniam verò quotidiana experientia abundè ſatis demonſtrabat, fœminas nimis etiam faciles eſſe adſuccurrendum aliis præter viros ſibi blandientibus, idque cum maximo earum incommodo; factum deinde SenatusConſultum, quo pleniſſimè fœminis omnibus ſubventum eſt. *l.* 2. §. 1. *h.* De hoc itaque SenatusConſulto conſtitui: (cùm tam in Academia quàm in foro, in quo jam verſari Deo volente ac favente animus eſt, non exiguum habet uſum): pro tenuitate ingenii & brevitate temporis paucula diſſerere: ita quidem ut non omnes quæſtiones, quæ â quibuſdam huc adduci ſolent, hîc recenſeam; ſed ut præcipua tantum capita, quæ ad intellectum hujus Senatus-Conſulti magis neceſſaria ducam, breviter percurram: Quod Deus benè vertat! Et ſic ſine prolixiori prooemio rectâ viâ pergo ad ipſum.

S E-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

SENATUSCONSULTUM,

Theſ. I.

QUod vocatur Vellejanum â Vellejo Tutore Conſule ita dictum, qui unà cum Marco Silano Collega ejus ad Senatum verba fecit de obligationibus fœminarum, quæ pro aliis reæ fierent *l.* 2. §. 1. *h. t.* dicitur etiam Ampliſſimi Ordinis Conſultum *l.* 3. *C. h.* ut & Decretum Patrum *l.* 13. *eod.*

Theſ. II.

Verba Conſules illi duo jam fecerunt, ut ex theſi antecedente patet, de *Obligationibus* fæminarum, quæ *pro aliis* reæ fierent. *d. l.* 2. §. 1. ideſt, pro aliis intercederent, *l.* 2. *§. ult.* vel alienas obligationes reciperent. *l.* 8. §. 1. *h.* Ex quibus apparet, duo hic neceſſariò requiri, quô SenatusConſultum locum habeat: Primò, ut mulier ſe *obliget*. Secundò ut ſeſe obliget pro alio. Mulier enim primò ſe *obligare* debet, ut ei ſuccurratur; aliter enim non dicitur intercedere, niſi ſe obliget: cæterum ſi pro alio, cum obligata non eſſet, pecuniam exſolverit, interceſſione ceſſante, repetitio nulla eſt. *l.* 1. *l.* 3. *C. h.* Cùm ejus, quod obligata pro alio ſolvit, repetitio detur. *l.* 40. *de Condict. indeb. l.* 9. *C. h. t.* vel ſi alii donet, non repetit. *l.* 4. §. 1. *h.* Ubi in fine ratio ejus rei redditur: quia *facilius ſe mulier obligat, quàm alicui donat*; hoc enim *raro accidit*, ait Imperator Conſtantinus *in l.* 16. *C. de donat. ante nupt.* Secundò ſe *obligare* debet *pro alio*: nam ex promiſſione ſuo nomine factâ æquè mulier convenitur ac vir; cautius enim, *ait Perez. ad h. t. C. n.* 5. ſegerit in rebus ſuis, quàm in alienis. Et fruſtra SenatusConſulti exceptione uti tentat, cùm principaliter ipſa debitrix ſit, quoniam exceptio Sčti tunc demum mulieri datur, cùm principaliter nihil

debet, ſed pro alio debitore apud creditorem ejus interceſſit. *l. 2. C. h. t.* quæ enim ſuum negotium gerit, illa obligationem non recipit, ſed facit. *l. 8. §. 1. h.*

Theſ. III.

Interceſſio igitur illa fit, cùm mulier alienam obligationem ſive veterem ſive novam in ſe recipit. *d. l. 8. §. 1. l. 18. C. eod.* quod rurſus accidit duplici modo; aut enim mulier veterem illam obligationem participat, aut totam in ſe transfert. *l. 4. C. h. t.* Participat veterem obligationem. 1. Si fidejubeat pro alio l. 2. §. 1. h. verbis: *quod ad fidejuſſiones &c.* 2. Si pro alio conſtituat. *l. 1. §. 1. de conſtit. pecun.* 3. Si res ſuas pro alio pignori obliget. *l. 2. §. 4. h. l. 11. C. de diſtr. pign.* vel conſentiat in id, ut res ſuæ pignori dentur. *l. 5. l. 7. C. h. pignoris enim datio etiam interceſſionem facit. l. 8. in pr. h. t. D. Wiſſenbach. h. n. 2. & Struvius n.* 3. pro quarta ſpecie participationis veteris obligationis hîc ponunt, ſi mulier alii pecuniam credi mandet: ſed nos hoc potius cum *Perezio ad h. t. C. n.* 4. in fin: referimus ad participationem novæ obligationis; quoniam eo tempore, quo mandatum illud intervenit, adhuc nihil debiti contractum eſt.

Theſ. IV.

Veterem autem obligationem totam in ſe transfert mulier, ſi 1. expromittat pro alio, quo caſu veteris obligationis ſit novatio ac primus debitor plane liberatur. vide *l. 8. §. 8. h.* 2. Alienum debitorem injudicio defendat: Si nempe reus principalis judicio eximatur: ſuſcipit enim tum in ſe alienam obligationem, quippe cùm ex hac re ſubeat condemnationem, *ut eſt in l. 2. §. fin. h.* & hoc caſu quaſi novatio eſt. *l. 10. §. 1. de in rem verſ. l. 23. de ſolut. l. 2. C. de pact.* Novam verò obligationem totam mulier in ſe transfert, ſi, cum alius pecuniam acciperet, ipſa ſe abinitio ream conſtituit. *l.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

8. §. 24. *h. t. l. 4. C. eod.* & indicatur in *d. l.* 2. §. 1. *h.* ubi verba SenatusConſulti relata ſunt, verbis: *Mutui dationes pro aliis.*

Theſ. V.

Nihil verò intereſt cujus obligationem ſive veterem ſive novam mulier in ſe transfert vel participat. *l.* 1. *in pr. h. l.* neque etiam pro marito, neque pro filio neque pro patre aliiſque conjunctis perſonis ſe obligare poteſt *l.* 2. §. *ult. h. l.* 3. *l.* 8. *C. eod.* Imò licet pro alia fœmina intervenerit, non deſtituitur beneficio hujus SenatusConſulti, ut videtur per generalitatem textus *in l.* 1. *&* 2. *h. t. non obſtante l.* 11. §. 6. *ff. de minor.* ubi quæritur, num minor adverſus minorem reſtitui poſſit? & reſpondetur, quod non, ſi ambo capti ſint: cæterum, ſi alter tantum captus ſit, reſtitutio datur.

Theſ. VI.

Competit hujus SenatusConſulti beneficium vel auxilium non ſolum fœminæ pro alio intercedenti, ſed etiam heredibus ejus, qui eadem exceptione uti poſſe dubium non eſt. *l.* 7. *l.* 20. *C. h.* Quia rei cohæret. *l.* 7. §. 1. *de except.* Ut & fidejuſſoribus. *l.* 14. *C. eod.* ne in mulierem mandati actio competat. *l.* 19. §. 5. *in med. ff. h. t.* imò etiamſi mandati actionem non habent. *l.* 7. *l.* 16. §. 1. *h.* Ubi in fine ejus ratio redditur: Quia totam obligationem Senatus improbat. Datur etiam procuratori, ſi mandato mulieris pro alio interceſſerit. *l.* 30. §. 1. *h.* ut & ei, qui pro muliere intercedente rem ſuam pignori dedit. *l.* 2. *quæ res pign.*

Theſ. VII.

Cæterum ejus, quod diximus interceſſiones fœminarum pro aliis prohiberi hoc SenatusConſulto, non hic eſt ſenſus, quaſi ipſo jure nulla eſſet obligatio mulieris, aut quaſi nulla

contra ipſam competeret actio: Quod non eſt; imò verò & obligatur mulier ipſo jure & obligatio ipſo jure valida eſt adhoc, ut ex ea conveniri poſſit. *l.* 23. *h.* Sed ita quod, quia SCtum Vellejanum illam omninò enervavit, inde ſolummodo, ſi fœmina conveniatur, exceptione D. SCti tuta ſit eâque ſe defendere poſſit. *d. l.* 23. *h. l.* 2. *l. m. C. eod.* vide, quæ habet hac de re *Engelbertus Kettler ICtus Celeberrimus Deciſionum Oſtfriſicarum Scriptor Optimus. Cent.* 1. *Deciſ.* 20. *n.* 14. *& ſeqq.* vel quod idem replicatione; ſi nempe mulieri agenti opponatur interceſſio, tunc replicabitur â muliere, aut ſi ea interceſſio contra SenatusConſultum facta ſit. *l.* 17. §. 1. *l. ult.* §. 2. *ff. h.* Et ſic accipi debent verba *l.* 2. §. 1. *h. ne eo nomine ab his petitio neve in eas actio detur, cum eas virilibus officiis fungi & ejus generis obligationibus obſtringi non ſit æquum.* Ut quidem ab iis neque petitio neque in eas actio detur cum effectu, ſed excludatur per oppoſitam hujus SCti exceptionem. Hoc enim aliâs quoque novimus dici non dari actionem, ubi illa per exceptionem eliditur: quod inde fit, *ait Rittersh. ad Nov. p.* 3. *c.* 4. *n.* 5. Quia parum intereſt, utrum nullam habeas actionem, an talem, quæ per exceptionem poſſit infirmari vel ſubmoveri.

Theſ. VIII.

Opponere autem mulier hanc exceptionem poteſt etiam poſt ſententiam, qua condemnata eſt. *l.* 11. *ff. de SCto Maced.* imò ſi ſolverit: locum habet repetitio. *l.* 9. *C. h. t.* tanquàm indebitè ſolutum. *l.* 40. *de Condict. in deb.* Si modo repetere velit. *l.* 31. *h.* Datur etiam mulieri Rei vindicatio per interceſſionem ſeu pro alio pignori datæ. *l. ult.* §. 1. 2. *h.*

Theſ. IX.

Jure tamen novo duobus caſibus Juſtinianus interceſſiones mulierum ipſo jure nullas eſſe juſſit. Primus eſt, ſi mulier

aliter,

aliter, quàm inſtrumento publicè confecto & â tribus teſtibus ſubſignato, interceſſerit. *l.* 23. §. *ult. C. h.* tunc enim pro nihilo habetur ejusmodi obligatio. Secundus caſus eſt, ſi mulier crediti inſtrumento conſentiat proprio viro aut ſcribat, & propriam ſubſtantiam aut ſe ipſam obligatam faciat, ſive ſemel ſive multoties pro eadem re; & ſive privatum ſive publicum ſit debitum. *auth. ſi qua mulier. C. h.* hoc Juſtinianus nullatenus valere jubet.

Theſ. X.

Exceptione jam oppoſitâ, videmus creditoris actionem per eam elidi: unde oritur dubium, quomodo creditori, qui fidem mulieris ſecutus eſt, ſuccurratur. Sed æquum eſt, ut in veterem debitorem, aut in eum, qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, actio daretur: magis enim ille quàm creditor mulierem decepit. *l.* 1. §. 2. *h.* idque tam in obligationibus, quas mulier participat, cùm nempè muliere ſubductâ creditori in veterem debitorem integra ſervatur actio. *d. l.* 1. §. 2. *l.* 14. *h.* quàm ubi mulier ſive veterem obligationem totam in ſe transfert. Tunc enim in veterem debitorem actio reſtituitur, licèt ille per acceptilationem ſit liberatus. *l.* 8. §. 7. 8. *h.* ſive novam in ſe recipit, quo caſu datur in eum, pro quo interceſſit, actio quæ inſtituit magis quàm reſtituit obligationem, ut perinde obligetur eodem genere obligationis, quo mulier eſt obligata. *d. l.* 8. §. 14.

Theſ. XI.

Sed non ſemper datur mulieribus hoc beneficium SCti Vellejani: ſunt enim caſus, quibus ceſſat: ut 1. Si mulier pro ſervo, qui Domino certam quantitatem promiſit, ut eum in libertatem perduceret, ſe apud Dominum obligaverit: in hoc enim caſu SenatusConſultum Vellejanum tacet. *l.* 24. *C. h.* 2. Si major viginti quinque annis fœmina pro qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum eſt, dotem promiſerit, SCtum ceſſat. *l.ult. C.h.* neque enim ferendum eſt, ait Imperator, mulierem ſic fieri indotatam, & tali modo â Viro forſitan repelli & diſtrahi matrimonium. 3. Deficit Vellejanum, ſi mulier apud minorem pro alio interceſſerit; ut magis ætatis ratio quàm SCti habeatur: hæc ita ſi prior debitor ſolvendo non ſit, alioquin minori non datur actio in mulierem, ſed perinde atque cæteri per exceptionem ſummoveri debet, quia communi jure in priorem debitorem ei actio reſtituitur. *l.* 11. *in fin. cum l. ſeq. ff. de minor.*

Theſ. XII.

Ceſſat 4. Si mulier debitrix pro creditore ſuo alii ſe obligaverit, vel ab eo ſe vel debitorem ſuum delegari paſſa ſit. *l.*2. *in fin. C.h.t. l.*24. *ff. eod.* quoniam eo caſu ſuum magis quàm alienum negotium geſſiſſe intelligitur. Sed quid, ſi verbi gratia, vir donationis cauſâ rem minoris uxori vendiderit, eamque deinde creditori ſuo in id pretium delegaverit? Reſpondetur venditionem nullius eſſe momenti: licèt inter extraneos hæc venditio valeat. *l.* 34. *de contr. emt.* etſi creditor pecuniam â muliere peteret, exceptionem utilem fore, quamvis creditor exiſtimaverit, mulierem debitricem fuiſſe mariti. *l.* 17. *h.t.* imò generaliter ceſſat, quotiens mulier in rem ſuam & obſervandum id, quod intereſt ſua, intervenerit: ut ſi fidejubeat pro procuratore ſuo, vel marito quando fundus dotalis ab eo petitur. *l.* 8. §. 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* vel etiam fidejuſſorem ſuum aut venditorem hereditatis ſibi venditæ defendat. *l.* 3. 13. *h.t.* item ſi heres ei, pro quo interceſſit, exiſtat. *l.* 8. §. 13. *h.*

Theſ. XIII.

5. Ceſſat; Si alicui quid facienti vel omittenti, unde periculum

riculum metuebat, indemnitatem promiſerit. *l.* 8. §. 1. *l.* 19. *in pr. §.* 1. *& ſeqq.* Veluti ſi mulier apud tutores filii ſui intervenerit, ne hi prædia ejus diſtraherent, & indemnitatem eis repromiſerit. *d. l.* 8. §. 1. Vel ſi heres inſtitutus â pupilli tutore, cùm de adeunda hereditate dubitaret, perſuadente matre pupilli, ut ſuo periculo adiret, adiit: adjectâ ſtipulatione; indemnem ſe eo nomine præſtari: negatur exceptioni SenatusConſulti locum eſſe: ratio; quoniam vix ſit ut aliqua apud eundem pro eo ipſo interceſſiſſe intelligi poſſit. *d. l.* 19. *pr. h.*

Theſ. XIV.

Non datur 6. locus SCto, ſi creditrix mulier rem ſibi oppignoratam reddiderit debitori. *l.* 8. *in pr. h.* quamvis aliâs pignoris datio interceſſionem faciat. *d. l.* 8. *l.* 5. *C. h. t.* 7. Si fœmina, quæ fidejuſſit pro alio mandaverit heredibus, ut debitum ſolvant: videtur enim ea res legatum: ac ita proprio nomine agit & vult præſtitum.

Theſ. XV.

Tacet 8. Vellejus, ſi pretium pro interceſſione acceperit; ſive per ſcripturam ſive ſine ſcriptis interceſſerit: ita ut, ſi in inſtrumento publicè confecto, tribuſque teſtibus conſignato hoc profeſſa fuerit, omninò huic ſcripturæ credatur: ſin minus ſtipulator admittitur ad probandum. *l.* 23. *in pr. C. h.* Multò magis, ſi omnem pecuniam pro qua interceſſerit mulier, jam â debitore acceperit: neque enim eam periclitari, ne eam pecuniam perdat, cùm jam eam habeat. *l.* 16. *ff. h. t.*

Theſ. XVI.

Ceſſat 9. SenatusConſultum Vellejanum, ſi decipiendi animo, cùm ſciret ſe non teneri mulier pro aliquo interceſſerit, & creditorem deceperit, negotium ſuum eſſe

mentita: actionem enim, quæ in dolum mulieris competit, Ampliſſimus Ordo non excludit *l.* 30. *h.* infirmitas enim fœminarum, non calliditas auxilium demit. *l.* 2. *§.* 2. *ff. h. t. l.* 5. *C. eod.* Sed quid ſi mulier tanquàm in ſuos uſus pecuniam acceperit, alii creditura? Non eſt locus SenatusConſulto *l.* 11. *h.* quoniam aliâs nemo cum fœminis contrahet, cùm ignorari poteſt, quid acturæ ſint. Ergo ignorare id debet creditor; nam ſi ſcit eam intercedere, tum locus eſt. *l.* 12. *eod.* Caſum hujus rei *in l.* 28. §. 1. *h.* habemus talem: *Mulier à Numerio ſuâ fide mutuam pecuniam accepit ſub obligatione ejus fundi, quem fundum maritus ejus anteà obligaverat Sempronio ob conductionem, eamque pecuniam ſtatim ſolvit Sempronio pro marito.* Ibi jam quæritur, an mulier adverſus SCtum obligaſit? & reſpondetur; ſi Numerius ſciſset eam intercedere, fore SenatusConſulto, de quo quæreretur, locum. Sed graviter huic legi obſtare videtur *l.* 13. *C. eod.* ubi: *Si fœnebris pecunia juxta fidem veri à creditore tibi data: ſive tota quantitas fœnoris, ſive pars ejus in uſum mariti proceſſiſſe proponatur, decreto patrum non adjuvaris, licèt creditor cauſam contractus non ignoraverit. Wiſsenbachius ad h. t. n.* 14. Statuit eſſe antinomiam vocatque eam *ad d. l.* 13. *C.* difficilem ſolutu nodum. Sed melius nos facturos arbitramur, ſi potius cum *Ampliſſimo Hubero JCto Solidiſſimo Præceptore noſtro ad extremum ſummè colendo ad h. t. n.* 12. quæramus harum legum conciliationem, quàm ſtatuamus *cum Wiſſenbachio d. l.* antinomiam: dicendo ſcilicet, quod *in d. l.* 13. fuerit ſcientia generalis non certa, quæ fallere poſſet; & quod *in l.* 28. §. 1. *ff. h.* non modo conſilii muliebris in futurum, ſed & præſens notitia rei in actum deductæ.

Theſ. XVII.

Non ſuccurritur 10. mulieri, ſi poſt biennium repetierit interceſſionem: ſibi enim imputare debet, ſi quod ſæpius cogi-

cogitare poterat & evitare, non fecit, ſed ultrò ſirmavit: videtur enim ex hujusmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione ſe illigare, ſed pro ſua cauſa aliquid agere. *l.* 22. *C. h. t.* Pro marito tamen nec iterata interceſſio valet. *per Nov.* 134. *c.* 8. *& Anth. ſiqua mulier. C. h.* Ubi infine additur limitatio: niſi manifeſtè probetur, quod pecuniæ in propriam ipſius mulieris utilitatem expenſæ ſint.

Theſ. XVIII.

Sequitur 11. caſus, quo deficit exceptio Senatus Conſulti Vellejani, qui eſt renunciatio: notiſſima enim eſt regula juris antiqui; *omnes licentiam habere, his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare. l.* 51. *C. de Epiſc. & Cler. l.* 29. *C. de pact.* Sed beneficium S^cti Vellejani pro mulieribus ac in favorem earum introductum eſt. *l.* 40. *ff. de Condict. indeb.* Quidni igitur poſſent illi renunciare, præſertim ſi fuerint de illo edoctæ ac certioratæ, quod omninò ad renunciationem requiritur, ut tradit *Gaill.* 2. *Obſerv.* 77. Adhoc maximè etiam facit, quod habetur in *l.* 31. *ff. h. Si mulier, quod ex interceſſione ſolvit, nolit repetere, ſed mandati agere, audienda eſt.* Nam ſi poteſt mulier tacitè renunciare huic exceptioni nempè eam omittendo; Quidni poſſet eandem etiam expreſſo pacto remittere. Imò & de muliere expreſſam habemus legem, quæ dicit; ſi mulier parata ſit judicium pro vetere debitore accipere, ut in eum non detur actio; cavere debebit *exceptione ſe non Uſuram & ſic adjudicem ire. l. ult. §. ult. h.* Eſt tamen anguſtæ interpretationis renunciatio; coarctatur enim ad illos contractus & illas res ſeu perſonas, quibus conſenſum ſuum proprium accommodaverint, nec aliis quibuſdam contractibus, quibus minimè mulieres conſenſerint, prætendentibus eam, opponendi licentia præbetur. *l.* 21. *C. h. t.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Theſ. XIX.

Quomodo autem fieri debeat renunciatio, in jure peculiariter expreſſum non eſt: Novimus tamen *ex d. l. ult. §. ult.* eam etiam extra jus & judicium fieri poſſe: dicitur enim ibi in fine: cavere debebit mulier exceptione ſe non uſuram & *ſic ad judicem ire.* Eſt tamen caſus exceptus. *in l. ult. C. quand. mul. offic. tut. & Nov.* 118. *c.* 8. Ubi mulier renunciare debet SCto Vellejano in judicio, ſi tutelam liberorum ſuorum ſubire velit. Sed quid ſi mulier tantum juraverit ſe non uſuram S&to? Jure Civili hoc jusjurandum eam vim non habet, ut mulier efficaciter obligetur: Sed jure canonico ſecus eſt propter generalem illam regulam Canoniſtarum: *Omne jus, jurandum ſervandum eſſe, quod poſſit ſervari ſine diſpendio ſalutis æternæ. c. cum contingat extr. de jurejurand. & c. quamvis. 2. de pact. in* 6. Sed hæc pro inſtituto ſufficient; quare B.L. rogare velim, ut illa æquo animo accipiant; & ita finem huic diſputationi impono in Nomine Domini, Qui mihi deinceps in ſtudiis meis ſemper adeſſe velit, ut ſic melius Clientibus opem â me deſiderantibus inſervire poſſim.

COROLLARIA.

I.

Ratihabitio patris, nuptias inde ab initio facit legitimas, adeò ut liberis antea quoque natis proſit.

II. *Dotalia inſtrumenta non ſunt neceſſaria ad legitimationem, quæ ſit per ſubſequens matrimonium.*

III. *Periculum rei venditæ nec dum tradite pertinet ad Emtorem.*

IN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

IN HONOREM
Nobiliſſimi ac Doctiſſimi Juvenis
D. JOHANNIS OHRTHUSEN
Cum in Alma Friſiorum Academia ſupremis in utroque Jure honoribus inſigniretur.

I lla fuit ! fuit illa O lim ! proh ! gloria prim I
O rbis , quod *ſine Lege* H omines , ſine Judicis uſ U
H oc facerent , *quod Legis erat* , R ectumque ; ſed iſtu D
A uſugit dudum T empus , ſubiitque cupid O
N unc rutili male ſana luti ; H inc ſcelera omnia ; done C,
N oxia terrigenûm quæ V ix molimina frænan T,
E xortæ *Leges* ; S emper quas pectore Doct O
S crutatus , merito EN *Legum* celebrabere DocToR.

Hæcce Conterraneo ſuo â teneris ſibi familiariſſimo accinere voluit

A. EILSHEMIUS,
SS. Th. St.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Ad Eundem.

Fœmineum placâſſe genus non infima laus eſt
Omnibus ingeniis quem placuiſſe juvat.
JurisConſultum geniis placuiſſe juvabit
Omnibus, ut dirimat jurgia dira fori.
Imprimis igitur metuens placanda Virago,
Quæ male placatum ſcit ſtimulare virum.
Sed quis placabit? notum quid fœmina poſſit,
Coneris, ſudes, ultro citata furet.
Ultro tamen cedet modò ſi concedere nôris
Nam varium ſemper fœmina, molle, ſequax.
Affectat palpum libertatisque tutelam,
Mollitiæ quamvis libera jure fiet.
Hinc bene *Velleji* defendis *dogmate* molles,
OHRTHUSI, paces quò muliebre genus.
Fallor an Embdanæ concurrunt undique Matres
Inque tuum nectunt laurea ſerta caput.
Hæ dum ſerta parant, te fauſta precantur amici
Quos inter lætus plurima vota fero.

Sic canit gratulabundus
L. à BUSCH, *M. St.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 B 222